



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

39. An percutiens Apostatam incidat in censuram? Et quid, si dimiserit
habitum suæ Religionis, & Ecclesiasticum & percutiens sciat esse
Apostatam? Et an Nouitius, si maneat extra Conuentum cum habitu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

40. prop. si
nem.

extenditur etiam ad denunciandos, & vitandos. De deposito verbaliter aliqui censent percuti posse sine pena excommunicationis: sed tu contrarium dic cum supra dicta Gloss. fin. in c. Degradatus, & cum Gloss. ordinaria in c. dictum, ver. Saculariter, 81. dist. quamvis alia Gloss. ibid. addat, hoc non credere, existimans per depositionem privilegium amitti. Sed non est hoc dicendum, cum nullibi sit in iure cautum: & cap. Cum non ab homine, de iud. in fin. tantum concedit licentiam Iudici sacrali, ut illum punire possit, quæ licentia, cum sit odiosa, non est extendenda. Et hæc omnia docet Leone de cens. recoll. s. n. 43. Megala in 3. p. instit. Confess. lib. 4. c. 2. q. 4. n. 36. & alij.

RESOL. XXXVIII.

An percussus Clericum realiter degradatum incidat in censuram?

Ex quo inferitur, an degradatus, si de facto celebraret, conficeret verum Christi corpus?

Et an si degradatus restituatur, vel si degradatus moriatur, & resurgeret, deberet iterum Ordinari? Ex part. 9. tractatu 4. Resol. 29.

§. 1. Affirmative respondet Matthæ de iurisd. p. 2. cont. 2. cas. 1. s. 2. n. 1. ubi sic ait: [Percussus degradatum actualiter, incidit in excommunicationem cap. Si quis suadente diabolo 17. q. 4. ut tenet Gloss. & Doctores in c. 2. de penis, lib. 6. Gloss. in c. Accidens dist. 50. & c. 2. dist. 54. & c. Dilectum dist. 81. Bertr. in tr. de Episcop. p. 4. tit. de causa finali, & effectu degradationis, n. 2. & ratio est: quia semper retinet Ordines, & remanet character, ratione cuius, si de facto celebraret, conficeret verum Corpus Christi, ut tenet Ioan. Andreas in novell. & ibi Abbas in c. 1. n. 11. qui Cleric. vel vocem matrum. contrab. poss. Et hæc est communis opinio omnium Theologorum, ut attestatur Abbas in dict. c. 1. in fine. D. Thomas in 3. p. summa, q. 83. art. 8. concludit potestatem consecrandi Eucharistiam pertinere ad characterem sacerdotalis Ordinis: character autem quilibet, qui cum aliqua consecratione datur, indelebilis est; sicut quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, neque possunt amitti, vel reintegrari. Idem, si degradatus restituatur, non debet iterum ordinari, cap. Si Episcopus 11. q. 3. Speculator in rit. de dispensationibus, §. nunc de Episcoporum, vers. 65. Berthachinus in dict. part. 4. num. 6. Idem, si degradatus moreretur, & postea resurgeret, non deberet iterum ordinari, Gloss. in cap. 2. 22. quest. 7. Andr. Sicul. in capit. Non potest, de re iudic. Doctores in cap. Degradatio, de penis, lib. 6. Et hæc est vera, pia, & sacrosancta opinio, quidquid alij senserint in contrarium.] Hucusque Matthæ.

Sup. hoc in
c. 4. tr. 8. lege
doctrinam
ref. 23. & al-
terius ref.
ejus secun-
da non sig-
nante ante
medium, §.
Negativam,
à vers. Quia
alias.

2. Sed fallitur, ut patet ex cap. Degradatus, in fin. de pan. in 6. ubi per realem degradationem Clericus omni privilegio clericali privatur. Et ita tenet Navar. in cap. 27. num. 81. vers. Nona. Toletus lib. 1. cap. 34. n. 1. vers. Sextus, & alij. Nec est de hoc dubitandum, cum in fine citati Canonis talis Clericus omni privilegio clericali privetur: & ita expresse tenet Gloss. fin. in dicto cap. Degradatus, & reprobat opinionem eorum, qui contrarium dixerunt, quam posse habere locum dici in verbatenus deposito; non autem in actualiter degradato, qui omne privilegium amittit, unde falso Glossa illa citatur à Matthæ pro contraria sententia, ea motus ratione; quia semper retinet characterem, & potestatem consecrandi: nam verissimum quidem est hoc; sed non ideo sequitur retinere privilegium Canonis, cum sint hæc longè diversa: etenim characterem, & potestatem conse-

crandi Sacerdos habet à jure divino; sed privilegium Canonis habet ex concessione Summi Pontificis, & ab eodem tollitur per degradationem. Et ideo nostram sententiam, præter Navarum, & Toletum, tenet Leone de cens. recoll. s. n. 241. & alij communiter. Quando igitur Rodrig. in Summa, tom. 1. cap. 144. num. 15. asserit, Clericum degradatum non amittere privilegium Canonis, intelligendus est de Clerico verbaliter degradato, non autem de denudato realiter.

RESOL. XXXIX.

An percussus Apostatam incidat in censuram?

Et quid, si dimiserit habitum suæ Religionis, & Ecclesiasticum, & percussus sciat esse Apostatam?

Et an Novitius, si maneat extra Conventum cum habitu suæ Religionis, & licentia Superioris, etiam si illicit, & absque iusta causa fuit dicto Novitio a Superiori concessa præstata licentia, gaudet privilegio Canonis?

Et notatur, quod non solum conversi laici oblato, seu donati, qui veram professionem emittunt, sed etiam 9. qui se suæque Monasterio tradiderunt, & in ipso vivunt, habitu aliquantulum mutato, eadem privilegia Canonis?

Et quid est dicendum de percussis manifeste Clericis Hæreticis, an censuram incurant, etiam si non tradantur si brachio seculari. Ex part. 9. tit. 4. Resol. 12.

§. 1. Affirmative respondet Leone 11. de cens. recoll. s. n. 37. ubi sic ait: [Religiosi professi, si gaudent dicto privilegio, etiam si maneat extra claustra sine Superioris licentia, vel quoque si sint Apostatæ. Et Novitij etiam si manerent extra conventum cum habitu, & licentia Superioris: quia, cum ex hoc non interrumpatur Novitatus, adhuc essent Novitius, ut latè post alios habetur per Bartholomæum de Vecchis in sua Traxi pro Novitiis, disp. 11. dub. 2. n. 10. ubi id extendit, etiam si illicit, & absque iusta causa, fuit dicto Novitio a Superiori concessa præstata licentia. Quando autem dixi, quod Apostata à Religione, cum jam sit professus, semper retinet privilegium Canonis, intelligitur non solum si retineat habitum, vel suæ Religionis, vel saltem clericalem, sed etiam si dimiserit habitum suæ Religionis, & Ecclesiasticum, & percussus sciat esse Apostatam.] Ita illi, cui adde Baunium in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tr. 4. q. 2.

2. Notandum est etiam hic obiter, quod non solum Conversi, Laici, Oblati, seu Donati, qui veram Professionem emittunt, (cum sint verè Religiosi) sed etiam ij, qui, ut dictum est, se, & sua Monasterio tradiderunt, & in ipso vivunt, habitu aliquantulum mutato, gaudent privilegio Canonis, si qui suadente. Ita ut illos percussentes in excommunicationem incidant: sunt enim, ut dictum est, personæ Ecclesiasticæ. Quod secus videtur dicendum de iis, qui in domo sua manent. Et ita docet Lezana tom. 2. c. 8. n. 6. Rodriquez tom. 3. q. 21. art. 4. & Fragosus de Repul. Christi. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 2. n. 46. ubi tradit, personas deputatas, & donatas perpetuò alicui Ecclesiæ, sive seculari, sive regulari, saltem si gerant habitum aliquo modo religiosum, quamvis non voveant tria substantialia vota, censeri Ecclesiasticas personas, & gaudere privilegio Ecclesiastico Canonis, & Ioni.

3. Sed quid dicendum de percussente Clericum manifestè hæreticum? Respondeo, in censuram non incidere, etiam si non sit traditus brachio seculari. Ita Villalob. in Summa, t. 1. tr. 17. diff. 22. n. 7. Portel. in dubijs Regul. verb. Manus violentia, num. 4. & alij.

RESOL.